

Patres omnibus in sermonibus & collocutionibus antea egissent, atque inter ipsos Herculemque convenisset, potestatem ei faceret de Pisano bello, quemadmodum sibi videretur, ita statuendi: potestate ab utrisque tradita, Hercules cum legatione, quam ad illum Florentini miserant, cumque Ludovici legato ad urbem venit. In urbe cum esset, tres ei cives Principis collegium attribuit, qui ei praesto essent, si quid petere aut cognoscere vellet, atque ad Principem & Patres renunciarent. Scripto autem, nequedum prolati judicio, cum se id Hercules Patribus ostensurum esse diceret, ut si quid aboleri aut commutari vellent, liceret: Georgius Cornelius unus ex Principis collegio Patres est hortatus, afferri ad se libellos juberent, atque inspicerent, ne ignaris ipsis, quid Hercules judicaturus esset, sententia proferretur. Sed is reprehensus a Patribus, qui dicerent, non esse æquum data Herculii per Senatum potestate suo arbitrio judicandi, nunc ei leges velle imponere, si quæ scripserit, sint improbatui: si non sint, frustra inspici quæ non improbentur; conticuit. Hercules octavo iduum aprilium sententiam tulit; ut remissis atque abolitis, quæcunque in Florentinos quoquo modo Pisani detrimenta eo bello intulissent, Pisæ restituerentur: ut reipublicæ auri libras mille octingentas Florentini darent annis duodecim expensi nomine: multis capitibus ad speciem Pisanae rei meliorem in statum atque formam redigendæ, quam antea fuisset, summæ judicij additis: re autem, quibus ad pristinam servitutis conditionem temporis momento Pisæ reciderent. Biduo post Hercules salutatis Patribus, quorum nemo fuit qui eum non invitus & non mæsto vultu viderit, vel etiam qui non de eo magnopere sit questus, quod fidem, quam reipublicæ dederat, tantis præsertim de rebus, non præstitisset, medium per urbem verbis contumacibus & sibilis a populo explosus domum rediit. Senatus Ferdinandum Herculis filium, & Bentivolos patrem & filium, & Baliones, & Marcum Martinengium, quo exercitus præfectori Pisæ usus fuerat, qui se omnes

Pisæ Flo-
rentinis re-
stituuntur.

neque